
Seminarij Antuerpienſis PARENTALIA IN FVNERE REVERENDISSIMI DOMINI IOANNIS MIRÆI, ANTVERPIENSIVM EPISCOPI SVIQVE INSTITVTORIS;

Perorante LAVRENTIO BEYERLINCK
eiuſdem Seminarij Præſide,
VII. Kal. April. M. DC. XI.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Viduam & Filios Io. Moreti.
M. DC. XI.

Seminarij Antuerpienſis

PARENTALIA

IN FVNERE

REVERENDISSIMI DOMINI

IOANNIS MIRÆI

ANTVERPIENSIVM

EPISCOPI

SVIQVE INSTITVTORIS.



SI vel apud eos dicerem, vel eo loco dicerem, vbi & quibus IOANNIS MIRAEI erepti heu! pridem nobis Antiſtitis virtus, prudentia, eruditioque cognita non ſunt, Reuerendi atque Clariſſ. viri, ſuperſederem hîc deiis verba apud vos facere. vererer enim ne dicendi copia ſermonis inopem redderet, & alta ſectantem cõfuſa rerum vbertas ad ima deprimeret.

adeoque magis idoneus laudator virtutum eius desideraretur, qui iam totum pænè orbem in meritam sui laudationem deuinxit. Ceterũ cùm apud eos dicturus sum, quibus optimi Præsulis admirãda indoles perspecta iamdudum fuit; eo etiam loco, cuius fundamenta, parietes, & tecta eum tacito quodam sensu amissum inclamant; tanto licentiùs liberiusque in eius laudes exspatiabor, quanto faciliùs indulgendum spondent vestrûm omnium oculi, & quos præfertis animorum indices vultus, si non omnes pro dignitate enumerauero. Fatiger enim si vel loca singula perambulem, quæ IOANNES MIRAEVS eruditionis suæ ingeniique miro splendore illustrauit. Equidem ad insitas nuper à Catholico Rege in Flandriæ Comitatu Athenas abeuntem, in quibus non prima tantùm litterarum lineamenta, sed sublimioris etiam sapinetiæ fontes hauserat, tenet Principum virorum domi-

domicilium Bruxella, ſolum eius natale, in quo non vno honoris gradu præfulſit. hanc ſubeuntem reuocat & reducit vrbium domina Antuerpia noſtra, quæ eum patrem, patronum, & tutorem aliquando habuiſſe gaudet, amiſiſſe lamentatur. O ſortis humanæ dira ludibria! ô fallax vitæ bonum! ô vitream rerum noſtrarum fidem! Ecce in quem vnum fiduciam conſtitueramus, cui nuper ſe Antuerpia obuiàm effuderat, derepentè nunc exanimem, & inexſpectatũ importuni luctus argumentum cernimus. Heu conſiliorum mutabilitatem! Sed quid? ita natura comparatum, Auditores ornatiſſimi, vt dolor & voluptas inuicem cedant, & ad Volupiæ aram niſi per Angoriæ adyta tranſitus non detur. Reſtabat igitur rebus tuis infelix Duacum, vt eruditionis tuæ germen, cuius accretione Palladios ſacrosque tuos. ſuccos quos effuſo alueo exteris impartis, transfundebas, priuſquam

ebrios ſulcos obumbraret meſſis, necdum adultum, & velut in herba euelleretur. Deerat tibi Bruxella, vt eum Ciuem, Paſtorem amitteres, cuius auctoritate fulta, genij ingeniique dotibus celebrata, cunctas ſuper vrbes glorioſum verticem tollebas,

Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

Supererat ad confertiſſimas huius ſæculi calamitates Antuerpiæ noſtræ, vt hoc duce atque auſpice militiæ ſuæ deſtitueretur, eoque orbaretur Præſule, quo vno ſe recreabat; in quem intuens, de quo cogitans, omnium quas his errorum procellis exceperat acerbitatum memoriam deponebat, & velut ad Sacram anchoram confugiens, reſpiraturam ſe poſt tot mala tandem aliquando confidebat. Haud immeritò itaque omnium oculi lacrymis maduêre, nec ſine cauſa Brabantiæ ſolum in hoc funere lugubribus queſtibus perſonuit, quando cælum ipſum,

ipſum, effuſo imbrium diluuio, dolorem etiam teſtatum eſt. neque quiſquam fuerit tam tenaci in aduerſis propoſito, qui lacrymas in communi hoc Eccleſiæ vulnere cohiberet, vt quas nobiliſſimæ vrbis iactura, & bonorum omnium viduata proſperitas pleno torrente eliceret. At mortalibus vniuerſis ab rerum natura & Principe accipiendi ſpiritus, & reddendi eodem momento temporis legem dici, Chriſtiani nouimus: atque vt mori neminem ſolere qui non vixerit, ſic neq; viuere quempiam poſſe qui non ſit moriturus. Cuius quidem memores, poſitis querelis omnibus, lacrymiſq; nil proficientibus exterſis, præſentiſſimũ leuamen præſenti mœrori ſupereſſe video, pulcherrimam ſcilicet virtutum, quarum ſola poſſeſſio poſt rogum perennat, quibus excultus ille fuit, recordationem. Quas dum hoc loco ſingillatim tumultuariæ narrationis filo contexere aggre-

dior, ignoſcite ſi non omnia ad exa-
ctam Rhetoricæ artis trutinam reuo-
cata, aut ad ſeueri cenſoris vel Ari-
ſtarchi alicuius examen diſcuſſa,

—— vt per læue ſeueros
Effundat iunctura vngues,

videantur. Facit confuſum & vix ra-
tionis compotem cùm admirabilis
omnium in hoc funere luctus, tum
nobiliſſimæ huius coronæ exſpecta-
tio, & deſiderium audiendi excellen-
tiſſimas eius laudes: quæ ſanè tantæ
ſunt, vt omnem etiam exercitatiſſimo
dicendi facultatem adimerent. vnde
non parum reformido cenſuram ſe-
ueræ illius virgulæ Fauorini Philoſo-
phi, ſentientis turpius eſſe frigidè lau-
dari, quàm grauiter vituperari. vnum
tamen me ſolatur, quòd ſuis meritis
laudatior ſit IOANNES MIRAEVS,
quàm vt mea commendatione vel
minimùm indigeat. Quapropter ma-
gis pium cenſebitur officium quod
extremum hîc exſoluimus, vt quem
vitæ

vitæ munere fruentem omni cultus genere prosecuti sumus, eumdem suæ laudis commemoratione, postquam esse inter homines desiit, decoremus. *Laudemus*, ait Ecclesiasticus, *viros gloriosos & parentes nostros in generatione sua.* Et facimus profectò quod debemus: & nescio, an posthac magis grato, magis commodo, magis exspectato Antistiti similem vmquam operam simus præstituri.

Etenim is fuit IOANNES MIRAEVS, ea indole, eruditione, ingenio, rerum agendarum promptitudine, vt nec qui acutùm cernunt in hominum vitiis, inuenirent quod carperent, nec deesset aliis quod æmularentur. Fuit is inquam, quem nascentem Virtus excepit, natum bonæ Musę excoluerunt, excultum Modestia, morúmque integritas supra æquales extulit, Pietas ad Pręsulatus culmen iam emeritum euexit. Multa studio à me omittenda video: quis enim aut finis,

aut modus, si vastissimum hoc æquor oberrauero? Dicam igitur, quando ita res tulit vt supremo hoc pietatis obsequio Parenti ac Tutori suo *Seminarium* parentaret, pauca è plurimis. Vos verò Auditores ornatissimi, quibus cum in augustissimo hoc Christiani orbis theatro, vrbe hac, conuersatus integrum propè septennium fuit, assensu & cogitatione prosequimini, quæ ego velut rerum capita narratione attingam.

Atque vt à genere, quo nomine parentes & patriam nuncupamus, exordiar; fuit in MIRAEO tale, quale vel in alio quouis optaueris. quibus enim gloriæ cumuletur honoribus Bruxella quæ hunc ciuem produxit, nihil attinet hoc loco dicere. MIRAEORVM quoq. stirps antiqua, ac honesta etiam nunc inter alias illius vrbis; vt ex qua, ceu ex vna arbore plures surculi, præclarissimæ aliquot soboles propagatæ. à quarum disciplina non degenerauit

IOAN-

IOANNES MIRAEVS; ſed maiorum virtutibus excitatus id effecit, vt religionis & integritatis patrimonium ſibi ab iis velut per manus traditum non tueretur tantùm imitando, ſed & augeret. ac gloriari meritò poſſet cum Latinæ eloquentię parente, quòd maioribus ſuis proprię virtutis radio prę-luxiſſet. Non igitur inſignis illa MIRAEI gloria tantùm à generis ſplendore, non à patria, quæ velut mutuò ab aliis accepta bona ſunt, cùm

Et genus, & proauos, & quæ non fecimus ipſi
Vix ea noſtra putet

priſci ſæculi Poëta : non ab opibus, quæ fortunæ ludus: ſed indulgentioris naturæ muneribus & excellenti indole propagata, micat inter alios

——— velut inter ignes
Luna minores.

Pulcherrimum aiebat ille, ita abundare, vt nemini quidquam debeas; ita illuſtrare alios, vt nihil ipſe luminis

ab

ab iis mutuatus videaris. Gaude hoc ramo MIRAEA ſtirps, exoſculare & venerare eum ſtipitem parens Bruxella, qui hunc ciuem produxit; cuius ampliſſimas virtutes nulla tam ſurda poſteritas, nulla tam ingrata fama non emeritis in cęlum encomiis feret.

Natus eſt autem Io. MIRAEVS anno poſt redemptum orbem ſexageſimo ſupra milleſimum & quingẽteſimum: quando, vt in herbeſcente ſegete certa ſpes meſſis affulget, ex vagientis ore vultuq́ue, quem animi ianuam cenſuit Cicero, puerili, inſitæ virtutis imago elucebat; ſic vt iam eum fore coniectarent, qualis poſteà fuit, creſcentemq́ue radium velut prima ætatis aurora erumpentem obſeruarent. ſtabat namque, vt ad Piſonem Lucanus,

——— ingenitæ virtutis in illo
Pulcher honos, & digna ſuis natalibus ora.

Dixiſſet ei profectò quod Themiſtocli

cli suo olim magnus ille Sophus: *Nihil mediocre futurus es ô puer!* & certè ita se res habet. generosa indoles, si accedit recta institutio, magnum bonum est Reipublicæ. Quocircà parentes conceptum tenello pectore ignem fouentes, filiolū cultioribus disciplinarum studiis imbuendum supponunt Patribus Hieronymianis, sub quorum pollice ea ætate informis ducebatur iuuentus, primosq́. humanitatis riuos libabat. hîc præcoci ingenio, & quæ ante pilos ei venerat abditarum rerum indagine facilè coætaneos prçcellebat; vt exiguo annorum curriculo, pertinaci studio, vtriusque linguæ optimis scriptoribus euolutis, tantas eruditionis opes cumularet, vt iam à stupenda memoria haberetur clarus, & antiquæ dignitatis poëmata decantaret. Exhinc ad Philosophica castra animum adpulit, & Louaniū veras orbis delicias missus, sub Castrensis Gymnasij signis Peripateticorum principi sacra-

ſacramentum dixit. verùm tironem adhuc, primaque ſeuerioris Diuæ rudimenta pertractantem, exortæ recèns in Belgio factiones, quæ vel tunc calebant maximè, profligatis ad Gemblacum *Ioannis Auſtriaci* fortiſſimi Herois & virtute & fortuna rebellibus, Louanio Duacũ eiecerunt: vbi emenſo quod bonis auibus auſpicatus fuerat Sapientiæ ſtadio, Magiſtri artium titulo in Regia eruditionis palæſtra inſignitus fuit: quem non vt plerique hac temporum malignitate nudum & inermem, ſed ſolido doctrinæ tegmine communitum tulit, vt vno dumtaxat certaminis loco ſuperaretur. Quid nunc referam candorem animi, quid in iuuene morum ſenectutem? quid animi moderationem in voluptatibus, quid in cupediis temperantiam? quid maturitatem conſilij in rebus grauiſſimis? Confluebant ad eum ceu vnicum delicium & virtutum theatrum ſtudentium turmæ,

ille-

illectę suaui concentu omnium actionum eius, qui cum eo & ab infantia creuerat, & ab vtero matris fuerat egressus. Non eum blandimenta, quæ feruidæ illi ætati natura dedit, tenuerunt; nec lubricas adolescentiæ vias ingressus aliquando, vtpote cuius libertatem sanctissimo vitæ instituto moderabatur.

Neque illi, vt huius sęculi horiperdis vsu plerumque venit, quibus volupe spontaneam eius rei iacturam facere, quod sapientissimum quemq; maximo semper in pretio habuisse cõstat;

—— quid dexter senio ferret
Scire erat in voto, aut damnosa canicula quantum
Raderet.

Sed libros & calamum efficacia doctrinæ instrumenta, tamquam tenebrosi otij solatia adhibebat; & venerãdam Virtutis imaginem, quam tenuisse nouerat veteres illos humanæ Sapientiæ Præsides, induere assiduo stu-

dio

dio contendebat. Hinc à Themiſtocle diligentiam, à Frontone grauitatem, à Socrate continentiam, temperantiam à Fabricio, à Scipione pudicitiam, à Catone deniq; beneficentiam erga omnes mutuabat. Siquidem illi

— *quæ Samios deduxit littera ramos*
Surgentem dextro monſtrarat limite callem.

Sed nec ignorabat excellentis animi adoleſcens, vt agrum ita & animum ſine cultura fertilem eſſe non poſſe, ac promptiſſimam ad ſcientiæ culmen viam eſſe alios erudire, & *neminem multa poſſe ſcire*(vt eleganter Latini ſermonis reſtitutor cultorq; Eraſmus) *niſi qui multa conſueuit docere.* eumque demum felicem,cui & accipere lucem proſperè, & reddere placidè contingit. quare non paucos annos in humanitatis profeſſione cōſumpſit, aliis tradere ingreſſus quod ſuomet ſibi labore pepererat. Mirabatur docentem externa iuuentus, cùm abſtruſæ do-

ctrinæ

ctrinæ opes venusto oris gestu panderet, & ab aliis intacta sectaretur interpretando. adeò vt cunctos ceu Belgicus quidam Hercules, doctissimis eloquij vinculis detineret, & ad se velut olim Thebana mœnia Amphion, aut bruta animantia Threïcius, alliceret. Quin, quòd Historiam temporum lucem, veritatis nuntiam, vitæ magistram sciret; & nihil vtilius iucundiusque cogitaret, quàm in humanæ vitæ theatro, quod Historia partibus omnibus mirè instructum habet, sedentem periculis aliorum, sine suo periculo cautum sapientemque fieri; omnes in eius studium animi neruos intendit. quò factum vt de re quauis dissere̋tem, nulla vmquam arcana fefellerint. Et hic rerum est ordo & consensus, Auditores, vt qui marcescibilem iuuentutis florem litterariæ militiæ consecrant, numquam aut labore frangantur, aut cupediarum illecebris irretiantur. Hinc veteres illi

Apologorum figuli Poëtæ, cùm deos omnes Veneris ſubiiciant imperio, in Mineruam & Muſas haud quidquam iuris effrenato Cupidini eſſe voluerũt. Sed video, quò magis progredior, eò magis in altum me inuehi, & à propoſito tramite in latiſſimum pelagus deduci. ſiſtendus igitur curſus, & in Miræanum portum dirigenda hęc rates. vos quæſo nihil remittite de aura veſtræ benignitatis.

Inierat iam eam ætatem IOANNES MIRAEVS, quæ reliquæ vitæ inſtitutum ponderare ſolet:

Cumque iter ambiguum eſt, & vitæ neſcius error
Diducit trepidas ramoſa in compita mentes,

& ſuſpenſus animo hæret quod tandem vitæ iter ingrederetur, occulto diuinæ motionis ſenſu, ad Eccleſiaſticæ vineæ, quam potens ille & æternus Paterfamilias plantauit ab initio, culturam, ſe non inuitari tantùm, ſed & rapi

rapi percepit. paruit inuitanti, paruit rapienti: & in odorem vnguentorum eius, cuius nomen oleum effusum, cucurrit, ac tot præclarissimis scientiarum artibus instructus, Sacræ paginæ adyta summa contentione iniuit, militiæ huius Ducibus, *Matthia Bossemio, Thoma Stapletono, Bartholomæo Lintrensi*, & *Guilielmo Estio*, summis Theologicæ facultatis luminibus: quorum notas fideli calamo excepit, tantaque pertinacia memoriẹ impressit, vt nunc etiam obrutus mole negotiorum quæ cum Episcopali munere susceperat, ea examussim depromeret rerum omnium argumenta, quæ ante longa annorum spatia apud magnos illos æternæ sapientiæ Antistites vbertim cumularat. Deus bone! quàm multa vni viro supra communem naturæ in aliis ordinem contigerunt? vix enim Theologicis fontibus labia proluerat, quin oppidò quæuis arcana erueret, & ad ea penetraret vbi terminum humano in-

genio esse voluit rerum auctor Deus. Ceterùm postquam publicè disceptando eruditionis comparatæ paucorum annorũ curriculo monumenta in admirantium animis publicaſſet, eiuſdem facultatis lauream eſt cõſecutus. Quando memoria repetens Apostolorum Principi à Domino dictum, *Si amas me, paſce oues meas*; poſthabitis amplioribus titulis, quibus eum vltrò decorandum cenſebant religioſiſſimi Belgicæ Præſules, & abdicato Canonico ſacerdotio quod in Namurcenſi opido conſecutus fuerat, Bruxellam, ciuium ſuorum, quos noui errorum labyrinthi irretiebant, ſortem miſeratus contendit. & vt erat minimè ambitioſus, ac nitidæ iucundæque vitæ ad bonam frugem percupidus, Paſtorale munus in D. Iacobi ſuſcepit, & cum eo tot hominum curas ſarcinaſque in ſe vnum tranſtulit. Videmus nunc omnes paſſim inertia ſectari otia, & ne ad nummularios

com-

commiſſa ſibi talenta deferant, eadem intra ipſa terræ viſcera velut in loco Manium condere, & è tempeſtate in tranquillitatis portum properare. Cæterùm alia, longè alia mens MIRAEO noſtro: qui inſtar lucernæ ſupra candelabrum poſitæ luxit omnibus qui in concredita ſibi domo erant, & vaſtatricium curarum pondus vltrò ſuſtinens, è quietis portu in periculoſiſſimas ſe tempeſtates coniecit; & acceptis ab homine illo qui peregrè proficiſcens ſeruis facultates diſpenſauerat quinque talentis, alia inſuper quinque ſuperlucratus fuit.

Dies, & vox me deficeret, Auditores, ſi vel prima capita enumerauero eorum, quæ in Paſtorali officio, quod annos plures ſumma cum laude obiuit, exantlauit. quàm ſolerter Dominici gregis incolumitati incubuerit, quæ Nouatorum monſtra vibranti linguæ fulmine perdomuerit, proſtrauerit, contriuerit. quot ſuſceperit affli-

ctos, quot pusillanimes erexerit, quoties à recto rationis tramite deuios ad saniora consilia reuocarit. Iure de eo dixerim quod de semetipso confitetur beatus ille senex magnus inter omnes Orientales, *Oculus* fuit *cæco & pes claudo.* Verùm enimuerò vt clarum mane angustas rimas suo splendore extendit, ita Miræani nominis fulgor non ad vulgares dumtaxat, sed & intra laqueata Principum virorum, in quorum intimam familiaritatem adscitus dudum fuerat, tecta suæ lucis radios emisit. Nam postquam eum Canonica dignitate exornassent qui suffragij ius ad D. Gudulę collegium, quod eadem in vrbe augustissimum existit, sibi vendicant; spectatæ illius virtuti affulsit præter alios Illustrissimus *Matthias Houius*, Mechliniensium Archiepiscopus, & Belgicæ Primas, censor ingeniorum longè grauissimus: qui ampliorē Olympum tanti Atlantis humeris imponendum ratus,

tus, in eo omnem cogitationem reposuit, qua tandem ratione augustioris nauigij clauo, longo rerum vsu valens nauclerus applicaretur. Accidit peropportunè vt *Guilielmus* ex Baronibus de *Grimbergen*, vrbis nostræ, quam vrbium ocellum appellauit magnus Lipsius, Antistes, vitæ merito ad Cameracensiũ principem Cathedram euocaretur. quærebatur viduę Pastor, qui collapsa ea temporum nocte erigeret, concussa restauraret, ac ingruentem luporum rabiem efficaci latratu cohiberet. dormientibus enim hominibus & ferrum in se mutuò acuentibus, inimicus zizania in medio tritici disseminarat. quibus euellendis non quæuis indoles par visa Illustrissimo Archipræsuli, & qui illi hac in re auscultabant, Serenissimis Principibus nostris: quorum ea mens, quam olim viguisse in Pio II. Pontifice memoriæ proditum, *non Magistratus viris, sed viros Magistratibus dandos esse.*

Igitur dum fluctuant, animoq; pendent omnes in quem tandem *Grimbergij* dignitas esset transitura, (maior vt dixi, moles erat quàm vt à quouis exciperetur,) ecce IOANNI MIRAEO, nec rogāti, nec prensanti ea inculcatur. Quid hîc faceret vigilantissimus Pastor? vltrò oblatæ dignitati repudium dare, vetabat hinc Sereniss. Principum, quorum punctum ad eam tulerat, auctoritas; illinc non Mechliniensis tantùm iussa, sed & Vaticani Præsulis imperia. amplecti oneris grauitas & muneris amplitudo deterrebat. Quo enim mare altius, & venti violentiores, & tempestas sęuior. nec sine ratione asseruit Pœnorum Imperator iam iam moriturus, *Finis ad alta leuatis est ruere*. O vertigo morum optima! ad quod plerique præcipiti feruntur ambitione, & indignis viro artibus deueniunt, reiicitur ab his, qui primam illam, siue nascentis, siue recèns natæ Ecclesiæ pietatem assequi conten-

ten-

tendunt. Inter quos raro exemplo ac-censendus est MIRAEVS: vtpote cuius animum Dominici ouilis sollicitudo, non peruicax titulorum laudisque cupido exedebat. vnde non verborum blandimentis potentûm aures demulsit, non largitione obsequióve oculos purpuratorum perstrinxit; sed nobilioris doctrinæ cultu, & propè adamantina ingenij vi, ad supremum hoc sacratæ mytræ fastigiũ, in nobilissima Vrbe sibi viam præmuniuit. Vbi nunc

—— auaritiæ fœdißima nutrix
Ambitio, quæ vestibulis, foribusque regentum
Excubat?

vbi insana gloriæ fames, quæ Menecratem & Macedonum Regem incessit, vt aris positis sibi incensum adoleri, & ter maximi Iouis encomio salutari imperitauerint? vbi profusissimæ largitionis pestis, qua magnum illum Cæsarem summi Pontificatus honorem emisse potiùs, quàm suo merito

peperisse, memorât Annales? vbi mendaciorum impudens acies, quæ Lucium Equitium Firmanum amplissima tribunatus potestate vallauit? & vt innumeros prætercam, vbi illa effrenatæ mentis calamitas, quâ

——— deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Ætnam
Insiliјt. ———

MIRAEVS non his artibus Ecclesiæ nostræ Præsulatum obtinuit. vt qui ad hunc publici honoris gradum, licet optimo vitę instituto præcinctus, non sine graui animi dolore pertractus fuerit. quibus enim precibus, quibus gemitibus, quibus lacrymis amplissimum illud munus à se auertere elaborarit, etiamsi tacuerimus nos, docet & clamat biennale mentis dubiæ decretum, quod adhibuit priusquam manus daret. Considerabat enim diu multumq; eminentem illam vitæ sanctitatem, quam exigit summum illud munus:

munus: eamq́ue Paſtorum Principis cenſuram extimeſcebat, quâ cōminatus fuit grauius iudicium illis, qui primas indignè cathedras occupaſſent.

Iam ad ceteras eius laudes abeunti, quantus dicendi campus aperitur? creſcet mihi opus Iliade maius, Auditores, ſi eas in medium adduxero. Cathedræ honorem conſecutus ſacriſq́ue infulis inſignitus, priſtinum humilitatis decus, & animarum ſibi creditarum ſollicitudinem numquam depoſuit. nihilq́ue illi ea dignitas nouum adtulit, niſi vt cùm prodeſſet quidem plurimis, ſibi magis metueret, ne non ſatis perſonæ dignitatem tueretur, & appenſus in ſtatera rigidi illius exactoris, inueniretur minus habens. Et hæc ille quidem animo voluebat. dum eius aduētu recreata Antuerpia, in gratulationis voces erumpebat, quòd eum Paſtorem & Epiſcopum animarum nacta eſſet, qui grauitatem Epiſcopalem ore blandiſſimo

con-

condîret, ſuperſtites quamuis debiles errorum fibras extirparet, cuius famam domi foriſque nitida ac hoſpitalis diſciplina, & liberalis animi beneficentia tuebatur. Quis nunc vel cogitatione complecti, vel ſermone perſequi valeat, quę quantáve ſæculorum laude, & æuiternâ Annalium memoriâ digna præſtiterit? quoties labantem Eccleſiam ſuſtinuerit? quàm improbos labores noctu diuque pertulerit, vt extra Catholicorum ſepta poſitos, ad ſuæ matris gremium, in quo mori feliciùs aſſeruit magnus Poloniæ Cancellarius, quàm ab initio non naſci, reduceret. Omitto eius in rebus opportunè gerẽdis prudentiam: prætereo moderationem in priuatis, in publicis ſplẽdorem: non refero quam in omnibus cęleſtis pręſidij fiduciam adhibuerit: aſſiduam inſuper verbum Dei annuntiandi conſuetudinem & diligentiam non commemorabo. De *Seminario* etiam iſto, quod ſub Præſulatus

latus exordium noua quadam insitione, ab aliis huius vrbis Episcopis terræ mandari cœptũ, plantauit, nihil etiam hoc loco dicam. Ipsi scitis, Viri Ornatissimi, quantum ex eo emolumenti in Diœcesim nostram, forensium Ecclesiarum Rectoribus qui paruulis panem flagitantibus frangerent pridem destitutam, emanarit hactenus. & quæ adhuc spes grauidi mox Autumni, in virescente nouarum stirpium, quas præsentes conspicamini, segete affulgeat, taciti vobiscum considerate. Hoc dicam, eoque vno contentus ero, tanto eum diuinæ gloriæ zelo æstuasse, vt nihil vmquam esset tam arduum, tantis periculis expositum, quod ei suaderet aliquando præterire ea, quæ pro Ecclesiæ dignitate, siue tuenda siue amplificanda, omnino agẽda iudicasset. Reuocemus quæso nobis in memoriam sedatas nunc paululũ ciuilis belli procellas, quibus iactati fuimus. quas non templorum rui-

ruinas, ædesque Diuorum collapsas,

Et fœda nigro simulachra fumo,

manantibus prę mœrore lacrymis intuebimur? nemo erat qui restaurandis iis quæ ceciderant incumberet, nemo qui Ecclesiarum lustrationi vtilissimæ vacaret, qui auitum pietatis decus repararet, nemo deniq. qui, vt cum Ezechiele loquar, infirma consolidaret, ęgrota sanaret, cōfracta alligaret, abiecta reduceret, & quę perierat quęreret. *Dispersi erant greges Domini eo quòd non esset pastor qui requireret, & facti in deuorationem omniū bestiarum agri.* Bellorum hic ludus erat, & iocus. Sed *ecce requisiuit* mox *oues dissipatas* vigilantissimus *Pastor*, & *liberauit eas de omnibus locis in quibus fuerant dispersæ in die nubis & caliginis. pauit gregem suum, & in brachio congregauit agnos, ac in sinu suo leuauit, fœtas ipse portauit.* Equidē quæ terrere alios solent, MIRAEO alacritatis calcar subdidêre. Quotus enim quisque debacchantem cuncta militum

tum licentiam non horreat? quis se temerè periculis offerat, & è portu in turbidum salum excurrat? Nihilominùs infracto animo vigilantissimus nauclerus, impetratis ab hoste tutelaribus, eorumque fide subnixus, vniuersam Diœcesim magna sedulitate oberrauit, sanctaque Domini contaminata denuò sacrauit: & quò hæreticæ illius hydræ, in suam & aliorum perniciem contumacis, renascentia capita resecaret faciliùs, *& ædificaret muros Jerusalem, quia deserta erat, & portæ eius consumptæ igni*; Cleri Senatum celeberrimum, exeunte superioris anni vere indixit, in quo pleraque summa prudentia sancita, quæ mox Serenissimorum etiam Archiducum calculo firmata fuerunt.

Etenim si gaudemus Rempublicam hanc, semota errorum nebula, morum Catholica honestate vestiri? vestiuit eam MIRAEVS. Lætamur sacrarum cærimoniarum vsum Diui-

nis

nis officiis magna populi deuotione adhiberi? adhibuit MIRAEVS. Laudamus Catholicos, in occultis tenebris & alieno à nobis solo delitescentes, salutaribus mysteriis imbutos, & difficultatibus erutos? imbuit, & eruit MIRAEVS. Summa omnium est, quòd Diœcesis, etiam qua parte sub disparis Domini iugo ingemit, Ecclesiam audiat; quòd tot nouellæ plantulæ educantur, tot eruditionis officinis hæc Vrbs adornetur, iuuentus in vitium flecti nata, sine pretio iis imbuatur disciplinis, quarum possessio omnem vitæ acerbitatem lenit, & immodicas adfectuum illecebras moderatur; quòd nouas Religiosorum colonias hîc collocatas miremur; quòd denique piorum hominum voluntati, quam iusta extremæ voluntatis sententia adseruerunt, fiat satis, dum sacrarum fundationum pia obsequia è tenebris velut ad vitam reuocantur; vni MIRAEO nos omnes debere fatea-

teamur, necesse est. Quapropter intuentibus magnitudinem rerum quas modico temporis spatio peregit, credere propemodum licet, tantum virum Superos Ecclesiæ nostræ necessitatibus accommodasse, quarum ægritudine superata citò eum repeterent suæ stirpi. Cuius rei argumentum est vitæ finis, qui & gloriæ ei pariter datus fuit. exspectauêre namque eum fata in patrio solo, quò de rebus maximis consilia initurus concesserat, & in secundissimo fecunditatis cursu rapuêre. Ita optima quæque in humanis perennare non permittuntur. O lamentabilem tanti Præsulis mortem! ô inæstimabilem Belgicæ nostræ iacturam! Supersunt tamen in mediis dolorum fluctibus argumenta quibus animum oblectemus, quorum pensitatione mens nostra excitetur. quòd nempe in mediis actionum tempestatibus, velut è clauo euocatus sit: quòd eo ipso die qui vltimus ei fuit in terris,

immaculatam de more hostiam Deo obtulerit: quòd morientem piissimarum precũ remigio comitati qui præsentes aderant viri religiosissimi; quos inter principem locum debeo *Matthiæ Houio* Mechliniensium Archipræsuli: quòd sacro delibutus oleo tamquam fortissimus Athleta, ea in vrbe spiritum redderet, vbi eum hauserat; eoq́. loco coronam acciperet certaminis, in quo vel maximè eam promeruerat. Denique quòd paucis antè diebus quàm hinc emigraret, facultates alendæ publico bono iuuentuti, cùm in *Seminario* hoc à se instituto, tum in Duaceno, in quo studiorum metam olim contigerat, supremis testamenti tabulis, de quibus prouidè sibi cauerat, reliquerit. & certè insignis illa vita, quæ quasi fabula tam pręstantes exhibuit scenas, nõ debuit alio quàm præstantissimo etiam epilogo terminari.

Peruenerat autem veneranda proceri ac venusti corporis maiestate, quã Natu-

Natura ei admodum indulgenter elargita fuerat, ad annum primum & quinquagesimum, integra valetudine, quæque longioris vitæ certissimam spem promittebat, nisi eam improuisa, omnemque Medicorum industriam fallens, incoctæ pituitæ defluxio præcidisset. adeò subtiles mortis causas fata inueniunt, dum ex decreto supremi illius Imperatoris vrgent. Interim ad emeritos eius titulos adiicere possumus, quod magno Turriano adscriptum lego;

Ante annos sciuisse nocet: nam maxima virtus
Persuasit morti, vt crederet esse senem.

Superest igitur, Viri Clarissimi, vt Manibus erepti nobis Præsulis benè adprecemur, eiusque ossa molliter cubare, quod antiquitas fecisse perhibetur, iubeamus, donec cum gloria nouissimè resument solutam positi corporis compagem, *& corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc im-*


mortalitatem. Tu verò IOANNES MIRAEE, qui ex hac difficultatum palæſtra enauigaſti tandem ad auctorem tuum, & auxiſti (vt opinamur omnes) beatas illas mentes, quarum in lumine ambulare dum adhuc nobiſcū ageres aſſiduè contendiſti, nauem hanc cuius clauum tanta ſedulitate tenuiſti, & *Seminarium* iſtud quod optimis inſtitutis exornaſti, opibus auxiſti, pænè à fundamentis erexiſti, Principi nauclero commenda: nec ceſſa omnium noſtrûm curam gerere in cęlo poſitus, quos tantis beneficiorum muneribus cumulaſti in terris. Nos certè quibus multa reliquiſti quæ collaudemus, innumera quæ imitemur, quoad in hoc ergaſtulo detinebimur, oblectabimur gratiſſima memoria tui: & vt excellentiſſimi tui nominis amplitudo, inuidia aut edaci temporis lima conteratur, pro viribus numquam ſinemus.

DIXI.

APPROBATIO.

FVNEBREM *hanc Orationem nomine* Seminarij Antuerpiensis, *Reuerendissimo in Christo Patri ac Domino* IOANNI MIRAEO *Antuerpiensium Præsuli (heu nimiùm properè, si queri fas est, Ecclesiæ erepto) à doctissimo* D Laurentio Beyerlinck, *S.T. Licent. Eccl. Cathed. Antuerpien. Canonico, & Seminarij eiusdem Præside dictam, & à me pro officij ratione perlectam, dignissimam luce & typis iudico. Antuerpiæ,* IX. *Kalend. Maij,* M. DC. XI.

Franc. Haræus S. T. L. Librorum & scriptionum Censor.




LABORE. ET. CONSTANTIA.